



Scripta publica Regiomont. 1826-1830.

Index lectionum O. M. 26, O. 27, O. M. 28, O. M. 29, O. M. 30.
2. 7. 12 20 26 30. 35 34. 40.

1. [Lobeck], De Orphei aetate dissertatio I.
3. [Lobeck], " " " " II.
3^a " " " " III.
4. De intercessione apud Deum unica et vera. sectio II.
5. Dissertatio de origine Marcionis antinomii parsicula 2.
6. [Lobeck], Dissertatio de Orphei aetate Pars IV.
8. De variis denominationibus constitutionis iurium in re aliena.
9. De libris III. sententiarum Isidori Hispalensis programma I.
10. [Lobeck], De Orphei theurgia et sermone sacro pars I.
11. [Lobeck], De Pythagoreorum sententiis mysticis programma I.
13. Antiquissimorum ecclesiae graecae patrum de immortalitate animae sent.
14. [Lobeck], De Pythagoreorum sententiis mysticis dissertatio II.
15. De libris III. sententiarum Isidori Hispalensis programma II.

16. 17. De microcosmo et macrocosmo dissertatio T. II.
18. De primis sacrorum reformatoibus in Russia. Vita Georgii a Polentis ab anno 1525
19. Dissertatio de Botyitiis.
21. Règlement über die Benutzung d. Sammlung der Gypsabgüsse nach Andiken.
22. De intercessione apud Deum vera adque unica sectio III.
23. De nomine vocis $\text{H}^{\text{I}} \text{S}^{\text{H}}$ in libris N. T.
24. [Lobbeck]. De Graecorum placendis sacris dissertatio T. I.
27. De tempore schismatis ecclesiastici Iudaeos inter et Samaritanos oborti
28. [Lobbeck]. De nominibus mypticis dissertatio.
29. De Amando, primo restauratorum sacrorum ad aedes Salazar, wolkos concion
31. [Lobbeck]. De Sa nchu rathonis Aheologia punica.
32. De autore epistolae ad Hebraeos.
- 33. 4. [Lobbeck]. De sacris privatis dissertatio T. II.
36. Proclusio, qua diversae recentiorum criticorum sententiae de fontibus evan-
gelii s. Marci emendatissimae traditionis ecclesiast. ope conciliantur.
37. De Dodecatheo pars II.
39. De accommodatone legitima a Jesu, cum diaboli mentionem facie-
bat, usurpata. sectio I.
40. De Jacobo Gnatho, sive Gnato, primi evangelii restauradi concion. apud Iantise.
41. [Rhesa]. De primordiis studiorum fanaticorum Anabaptistarum saeculo XVI.



M.

51

Sacra Natalitia Jesu Christi

pie celebranda

indicunt

Academiae Albertinae

Prorector, Director, Cancellarius et Senatus.



Rhosa

• Inest Commentatio de primordiis studiorum fanaticorum Anabaptistarum
saeculo XVI.

Regiomonti MDCCCXXX.

Typis academicis Hartungianis.

SACRIS NARRATIONIBUS
JOHANNIS CHRYSOSTOMI

in octiduo

libris

Academice Albertinae

Prætorum, Rectorum, Cancellariorum et Senatorum



in typographia Universitatis Halensis
anno 1771

Reverendissimi Patris
Johannis Christiani



De origine anabaptismi si quaeras, quo ille tempore adhiberi coeperit, non negandum erit, exstare monumenta, quae monstrant, primis jam ecclesiae saeculis administratum fuisse anabaptismum. Eo haud dubie pertinent quae jam Tertullianus cloquitur¹⁾, quamvis certa hujus rei documenta Cypriani demum temporibus exhiberi possint, quibus, et qui ab haereticis ad ecclesiam catholicam veniebant, et qui ad Novatianenses haereticos transibant,

1) Cfr. TERTULLIANUS *de baptismo cap. 15.*: „Nescio si quid amplius ad controversiam baptismi ventilatur. Sane retexam quod supra omisi, ne imminentes sensus videar intercidere. Unus omnino baptismus est nobis, tam ex domini evangelio, quam ex apostoli literis, quoniam unus deus, et unum baptisma, et una ecclesia in coelis. Sed circa haereticos sane quid custodiendum sit, digne quis retractet. Ad nos enim editum est. Haeretici autem nullum habent consortium nostrae disciplinae, quos extraneos utique testatur ipsa ademptio communicationis. Non debeo in illis agnoscere quod mihi est praeceptum, quia non idem deus est nobis et illis, nec unus Christus, id est, idem, ideoque nec baptismus unus, quia non idem, quem cum rite non habeant, sine dubio non habent; nec capit numerari quod non habent, ita nec possunt accipere, quia non habent. Sed de isto plenius jam nobis in Graeco digestum est. Semel ergo lavaerum inimus, semel delicta diluuntur, quia ea iterari non oportet. Ceterum Israël Judaeus quotidie lavat, quia quotidie inquinatur. Quod ne in nobis quidem factitaretur, propterea de uno lavaero definitum est. Felix aqua quae semel abluit, quae ludibrio peccatoribus non est, quae non assiduitate sordium infecta rursus quos diluit inquinat.“ —

iterum baptizabantur²⁾. Illo ipso etiam tempore inter Cyprianum et Stephanum episcopum Romanum controversia facta est de baptismo haereticorum, cujus historiam epistolae Cypriani

-
- 2) Cfr. CYPRIANUS *Ad Jubajanum, de haereticis baptizandis epist. 73.*: „Scripsisti mihi frater carissime, desiderans significari tibi motum animi nostri, quid nobis videatur de haereticorum baptismo, qui foris positi, et extra ecclesiam constituti, vindicant sibi rem nec juris sui, nec potestatis, quod nos nec ratum possumus nec legitimum judicare, quando hoc apud eos esse constet illicitum. Et quoniam super hac re quid sentiremus, literis nostris expressimus, ut compendium facerem, exemplum earundem literarum tibi misi, quid in concilio cum complures adessemus decreverimus: quid idem postea Quinto collegae nostro de eadem re quaerenti rescripserimus. Et nunc quoque, cum in unum convenissemus, tam provinciae Africae quam Numidiaepiscopi, numero septuaginta et unus, hoc idem denuo sententia nostra firmavimus, statuentes unum baptisma esse quod sit in ecclesia catholica constitutum, ac per hoc non rebaptizari, sed baptizari a nobis. Quicumque ergo ab adultera et profana aqua veniunt abluendi sunt et sanctificandi salutaris aquae veritate. Nec nos movet frater carissime, quod in literis tuis complexus es, Novatianenses rebaptizare eos, quos a nobis sollicitant, quando ad nos omnino non pertineat, quid hostes ecclesiae faciunt, dummodo teneamus ipsi potestatis nostrae honorem, et rationis ac veritatis firmitatem. Nam Novatianus simiarum more, quae cum homines non sint, homines tamen imitantur, vult ecclesiae catholicae auctoritatem sibi et veritatem vindicare, quando ipse in ecclesia non sit, imo insuper adhuc contra ecclesiam rebellis et hostis exstiterit. Sciens etenim unum esse baptisma, hoc unum sibi vindicat, ut apud se esse ecclesiam dicat, et nos haereticos faciat. Nos autem qui ecclesiae unius caput et radicem tenemus, pro certo scimus et fidimus, nihil extra ecclesiam licere, et baptismatis, quod est unum, caput nos esse, ubi et ipse baptizatus prius fuerat, quando divinae unitatis et rationem et veritatem tenebat. Quod si in ecclesia baptizatos, rebaptizandos foris extra ecclesiam Novatianus existimat, a se incipere debuerat, ut prior extraneo et haeretico baptismo rebaptizaretur, qui post ecclesiam, imo et contra ecclesiam, baptizandos foris opinatur. Quale est autem, ut quia hoc Novatianus facere audet, nos putemus non esse faciendum? Quid ergo? quia et honorem cathedrae

(ep. 69—74. Pam. 76. 70—74.) et epistola Firmiliani episcopi Caesar. in Cappadoc. ad Cyprianum (ep. 75.), illustrant. Plura tunc in Africa concilia sunt instituta, quae hanc rem accuratius tractarent, simulque liber *de rebaptismate seu de baptismo haereticorum*, quem recentioribus editionibus Cypriani adjecerunt, prodiisse videtur, quo baptismus haereticorum rite institutus defenditur. Quemadmodum vero Cyprianus strenuus erat baptismi ab haereticis instituti adversarius, ita episcopi quoque Galatae, Ciliciae, Phrygiae, Cappadociae et vicinarum provinciarum in concilio quod Iconii anno CCXXXV instituebatur, baptismum a Montanistis aliisque qui haeretici habebantur, institutum, irritum esse jusserunt, et in concilio Nicaeno placuit asseclas Pauli Samosat. iterum baptizari, si cum ecclesia catholica conjungere se vellent.

Nec hoc loco Donatistarum praecepta praetermittenda, iterum esse baptizandos, qui ab ecclesia catholica ad se venirent³⁾, unde etiam *rebaptizantes* dicebantur. — Quae vero hucusque de anabaptismo jam primis ecclesiae saeculis grassante, exposuimus,

sacerdotalis Novatianus usurpat, num iccirco nos cathedrae renunciare debemus? Aut quia Novatianus altare collocare, et sacrificia offerre contra fas nititur, ab altari et sacrificiis cessare nos oportet, ne paria et similia cum illo celebrare videamur? Vanum prorsus et stultum est, ut quia Novatianus extra ecclesiam vindicat sibi veritatis imaginem, relinquamus ecclesiae veritatem. Apud nos autem non nova aut repentina res est, ut baptizandos censeamus eos qui ab haereticis ad ecclesiam veniunt, quando multi jam anni sunt, et longa aetas ex quo sub Agrippino bonae memoriae viro, convenientes in unum episcopi plurimi hoc statuerint, atque exinde in hodiernum tot millia haereticorum in provinciis nostris ad ecclesiam conversi, non aspernati sint neque cunctati, immo et rationabiliter et libenter amplexi sint, ut lavacri vitalis et salutaris baptismi gratiam consequerentur“ etc.

3) Cfr. OPTATUS *de schismate Donatist.* libri VI. AUGUSTINUS *de baptismo contra Donatist.* lib. VII.

differunt quodammodo a praeceptis de anabaptismo infantium, quibus ut obtemperetur nonnulli senioribus temporibus, praesertim tempore emendationis sacrorum, efficere voluerunt. Non enim baptismum infantium impugnarunt altercationes priorum saeculorum, sed universum tum ab ecclesia catholica tum ab haereticis institutum baptismum.

Saeculo vero duodecimo incunte Petrus de Bruys in Gallia meridiana inter alia et haec docuit: parvulos, qui nondum intelligentia praediti sunt (*infra intelligibilem aetatem*, ut scriptor illius temporis dicit), non salvari baptismo, neque alienam fidem eis prodesse posse, cum Christus ab illis qui baptizari et salvari deberent, fidem postulasset. Hoc bene viri docti ita intellexerunt, Petrum de Bruys salutem infantium non baptizatorum non negare, sed probare voluisse, adultos tantum esse baptizandos⁴⁾.

Quae post haec impugnationes baptismi infantium inter nonnullos coetus Valdensium et fratrum Bohemorum proferuntur, tam incertae sunt, ut justum iudicium de iis ferri non possit.

Haec fere sunt quae probent, jam primis ecclesiae saeculis anabaptismi propugnatores exstitisse, ordinemque ecclesiae turbasse. Majores vero turbas effecerunt, qui saeculo XVI. tempore emendationis sacrorum invaluerunt Anabaptistae, atque multis terris deliriis suis maxime noxiis impletis, varios in iis motus concitaverunt.

Erat illud saeculum ferax haeresium et sectarum, nam emendatio sacrorum, postquam Lutherus forti et pio animo errores ecclesiae catholicae oppugnaverit, mox, in universa praesertim Saxonia, res populi facta erat. Cum vero notissimum sit illud:

4) Cfr. PETRI VENERAB. *contra Heinricianorum et Petrobrusianorum haeresin epistolae duae* Ingolst. 1546. — DU CHESNE *Bibl. Cluniacens.* p. 1117—1230. Paris 1614. — *Biblioth. Patr. max. Lugdun. T. XXII.* p. 1033 sqq.

mundus vult decipi, nemini mirum videatur, illis quoque temporibus saepius populum, alias ad optima quaeque aptum, a malis ducibus seductum erroribusque permissum esse.

Itaque factum est, ut fanatici quidam illis temporibus sectam Anabaptistarum constituerent, quae mox multos invenit asseclas, et postquam vario modo terras turbaverat, nostris quoque temporibus, sed meliore indole reperitur, et in diversas regiones sese diffudit. — Origo autem fanaticae Anabaptistarum sec. XVI sectae anno MDXXI p. Chr. debetur. Cum enim inter caeteras Lutheri theses liber *de libertate Christiana* in lucem editus, toto orbe spargeretur, mox Germanica lingua jactari omnium manibus coeptus, incredibile dictu est, quos plausus apud homines literarum ignaros excitarit. Is certe liber materiam vulgo ad memorabilem Anabaptistarum et postea Rusticorum seditionem, sed non bene intellectus praebuisse videtur ⁵⁾.

Nomen Anabaptistae traxerunt a praecipuo haereseos suae capite, a quo et Belgis *Herdoopers*, *Doops-gesinde* dicuntur.

Qui vero auctor hujus sectae fuerit, magnopere dissentiunt viri docti. Alii enim volunt esse THOMAM MUNTZERUM ut Sleidanus aliique scriptores, alii CAROLOSTADIUM ⁶⁾, alii denique NICOLAUM STORCKIUM: imo et ZWINGLIUS atque LUTHERUS a quibusdam auctores Anabaptistarum habentur.

Nemo a nobis postulet ut latius exponamus LUTHERUM atque ZWINGLIUM auctores Anabaptistarum non fuisse, hoc enim per se clarum est. Nec CAROLOSTADIUS auctor fuisse potest. Nusquam enim documentum exstat CAROLOSTADIUM jam eo

5) Vid. ABRAHAMI SCULTETI *Annalium evangelii passim per Europam decimo quinto salutis partae seculo renovati. Heidelbergae* 1618. ad annum MDXXI p. 76.

6) Cfr. E. M. P. (Ern. Mart. Plarii) *ΕΠΙΛΕΙΓΜΑ sive specimen historiae anabaptisticae* sqq. 1701. p. 4.

tempore, quo primum turbas Vitembergae movebat, anno MDXXI anabaptismo addictum fuisse, quamvis accurata notitia fanaticorum ejusdem studiorum ad nos pervenerit. Eo vero anno errores anabaptistici jam inceperant CYGNEAE, sed anno demum exeunte Vitembergam translati sunt. Semper etiam in epistolis, quas a medio hoc anno scripsit Lutherus, seorsum vituperat CAROLOSTADII conatus, et nusquam CAROLOSTADIUM cum Anabaptistis conjungit. De his primum etiam separatim loquitur epistolis Amsdorfio et Melanchthoni anno sequenti, die octava Epiphaniae MDXXII scriptis ⁷⁾, postquam *prophetae Cygnaei*, quo nomine Lutherus Anabaptistas qui Cygnea venerant indicat, Vitembergae sedes collocarant. Priusquam hi venerant, de anabaptismo Vitembergae, ubi CAROLOSTADIIUS jam nova moliebatur, sermo non fuerat, et ne unus quidem aequalium hos errores ad CAROLOSTADIUM auctorem refert. Sed mox etiam CAROLOSTADIUS errores Anabaptistarum secutus videtur ⁸⁾, et Camerarius in vita Melanchthonis haec tradit (p. 49): *neque carebat factio ista (prophetarum Cygnaeorum) patrocinio quorundam auctoritate praedictorum, in quibus et ANDREAS CAROLOSTADIUS nominabatur.*

THOMAS quoque MUNTZERUS hujus criminis a nonnullis, sed falso accusatur. Cum enim, quod statim exponemus, nemo eat infitias, jam anno MDXXI atque insequenti errorem anabaptisticum sparsum fuisse, MUNTZERUS auctor ejusdem fuisse nequit. Anno enim MDXXIII librum edidit, quo baptismum infantium nondum condemnat, imo aperte indicat a se et asse-

clis

7) V. Dr. MARTIN LUTHERS *Briefe, Sendschreiben und Bedenken etc. von de Wette. Th. 2. 1826.*

8) Cfr. LUTHERI *epistola An die Christen zu Strasburg* (ed. de Wettii Th. 2. p. 574) anno MDXXIV d. XV. Decembr. scripta.

clis suis infantes baptizari ⁹⁾, quod fieri non potuisset, si MUNTZERUS auctor anabaptismi jam anno MDXXI exorsi fuisset ¹⁰⁾. Erroribus autem anabaptisticis etiam MUNTZERUM seriore tempore deditum, pariterque jam tunc alias socium eorum fuisse, qui hanc doctrinam spargebant, constat ¹¹⁾.

Itaque NICOLAUS tantum STORCKIUS restat, quem auctorem anabaptismi saeculo XVI exorsi habeamus. Nec negandum est, multas adesse causas, quae probent, STORCKIUM fuisse auctorem Anabaptistarum.

In vita enim Melanchthonis, a J. Camerario edita, praesertim STORCKIUS (Ciconia) sectae istius furiosae caput laudatur ¹²⁾.

9) Vid. I. *Ordnung und Berechnung des Teutschen ampts zu Alstadt durch Thomam Müntzer, seelwarters ym vorgangen Osteren auffgericht. 1523. Gedruckt tzu Eyllenburgk durch Nicolaum Widemar.* Ibi haec exstant fol. b.: „Von der tauffe wie man die heldet. — Wann bey uns ein kindt getaufft wirt, so vormanet man die gefattern bey yren selen selickeit, das sie sollen drauff achtung haben, was man bey der tauffe handelt, auff das sie es hernach dem kinde so es erwechset mügen vorhalten, und das die tauff mit der zeyt muge vorstanden werden.“ sqq.

10) Nostram sententiam etiam probat BULLINGERUS, qui mox post haec tempora scripsit. Cfr. H. BULLINGERI *adversus Anabaptistas libri VI. Nunc primum e Germanico sermone in Latinum conversi per Josium Semlerum Tiguri 1560.* Ibi pag. 2. haec inveniuntur: „Attamen illo tempore (Storckii) et Anabaptismi exordio Muncerus ipse (ut ferunt) non rebaptizavit, causis quibusdam impeditus, et discipuli ejus (ut deinceps dicemus) ante ipsum rebaptizare coeperunt, ipse vero ante proprio sanguine baptizatus, hoc est caesus est. etc.

11) Vid. STROBEL *Leben, Schriften und Lehren Thomä Müntzers.* Nürnberg und Altdorf 1795. p. 198.

12) Cfr. I. I. p. 43.; „Non habeo autem pro certo dicere, ubi locorum et quibus maxime autoribus secta ista furiosa, de qua deinceps dicturus sum, exorta sit. Sed unus vagabatur passim, cujus nomen Germanicum habet *Ciconiae* significationem. Is ex plebe imperita et simplice plurimos deceptos falsitate opinionis perniciosae complebat etc. — et paullo

Atque in libro, quem Marcus Wagner anno MDXCVII edidit ¹³⁾, aperte narratur, NICOLAUM STORCKIUM auctorem errorum anabaptisticorum fuisse. Et huic scriptori idcirco fides habenda videtur, quia, quae tradit, a pastore Friemariensi Joanne Chyomuso (i. e. Schnesing) non tantum audiverat, sed in libris quoque ejusdem manuscriptis legerat. Joannes autem Chyomusus cum STORCKIO consueverat, ejusque motus observaverat.

NICOLAUS STORCKIUS etiam a Spalantino ¹⁴⁾ et Luthero ¹⁵⁾ princeps prophetarum (Cygnaeorum) dicitur. Deinde Bullinge-

post: „Primum igitur eam congregationem, quae a talibus gubernaretur et administraretur, ecclesiam esse Christi negare, et dicere ex illa discedendo hanc institui oportere. Et quibus hoc persuaderetur et placeret, eos denuo baptismo initiandos esse. Unde *Anabaptistarum* secta illa nomen invenit etc. — et pag. 45.: „*Ciconia* iste se imperitum literarum esse penitus simulabat, vel erat etiam fortasse, praedicans sibi divinitus scientiam salutarem contingere. Esse tamen studebant hi in numero suo literatos aliquos. Sed et isti ipsi se magistros doctoresve homines habuisse habereve affirmabant nullos, et copiam scientiae sibi divinitus conferri universae. In quibus unus erat MARCUS nomine praecipuus etc.

- 13) Sub titulo: *Einfältiger Bericht, wie durch Nicolaum Storcken die Aufruhr in Thüringen und ümliedenden Revir sey angefangen worden.* 1795. 8. Cfr. quae ex hoc libro desumpta sunt in l. *Tenzel's Monatliche Unterredungen.* 1694. p. 283 sqq.
- 14) Cfr. SPALATINI *ausführliche Relation von den drey Schwärmern in Zwickau,* in l. Schneider Bibl. der Kirchengeschichte Vol. II. p. 122., et *Spalatin's Annalen Reformat. aus dessen Autographo ans Licht gestellt von E. S. Cyprian,* 1718. p. 52.
- 15) In epistola ad Spalatinum anno MDXXII die IV Septembr. scripta, ubi haec exstant: „Fuit apud nos princeps prophetarum CLAUS STORCK, incedens more et habitu militum istorum quos LANZKNECHT dicimus, adjuncto alio in longa tunica, et Doctore Gerardo Coloniensi. Et homo per omnia ferme dissentit Marco et Thomae, nihilque tractavit nisi de baptismo parvulorum: videturque spiritu levitatis ferri, qui nec ipse magni faciat, quae sentit. Sic ludit Satan in hominibus.“

rus ¹⁶⁾ narrat: „circa annum domini MDXXI et sequentem MDXXII in ea parte Saxoniae, quae est ad Salam flumen, exorti sunt quidam seditiosi spiritus, quorum praecipuus erat NICOLAUS STORCK. Postremo Enoch quoque Widtmannus ¹⁷⁾ NICOLAUM STORCKIUM, qui anno MDXXIV etiam Curiae Variscorum (HOF) animos turbaverat, auctorem sectae Anabaptistarum describit.

Hiscum etiam Scultetus l. l., Seckendorffius ¹⁸⁾, Arnoldus ¹⁹⁾, Planckius ²⁰⁾, Schröckhiius ²¹⁾ consentiunt, et nihil jam impedit, quo minus sumamus, NICOLAUM STORCKIUM fuisse auctorem sectae Anabaptistarum saeculo XVI terras turbantis.

NICOLAUS autem STORCKIUS, [NICOLAUS sive CLAUS STORCK, CICONIA aut PELARGUS, ut alii ex consuetudine illorum temporum volunt ²²⁾], natus est Cygnae (Zwickau) in Saxonia ²³⁾, quo anno, non constat, ibique postea rudis incultusque ex pan-

16) BULLINGERI *adversus Anabaptistas libri VI. nunc primum e germanico sermone in latinum conversi per Josiam Semlerum Tigurinum. Tiguri* 1560 p. 1. b.

17) Cfr. *Fortsetzung der Auszüge aus Enoch Widtmanns Chronik von Hoff*, in l. *Fortgesetzte Sammlung von Alten und Neuen sqq. auf das Jahr 1736.*

18) VITI LUDOV. A SECKENDORF *Commentarius histor. et apologet. de Lutheranismo. Francof. et Lipsiae* 1692. p. 192 sqq., atque ejusdem *Ausführl. Histor. des Lutherthums etc. von Frick. Leipzig* 1714. p. 451.

19) *Unparteyische Kirchen- und Ketzer-Historie. 1700. T. II. p. 262.*

20) *Geschichte der Entstehung, der Veränderungen etc. unsers protestantischen Lehrbegriffs etc. von D. G. J. PLANCK. ed. II. Leipz. 1792. T. II. p. 39 sqq.*

21) *Christl. Kirchengeschichte seit der Reformation, von J. M. SCHRÖCKH. T. I. p. 285 sqq. T. V. p. 430 sqq.*

22) Cfr. CAMERARIUS *Vita Melancthonis* l. l. et BERTIUS *Germania* l. 3. p. 309.

23) Cfr. *Auszüge aus Enoch Widtmanns Chronik, von Hoff. l. l.*

nificum numero fuit ²⁴⁾. Anno MDXXI Cygnae, teste Spalatino l. l., Melanchthone, in epistola ad electorem apud Seckendorffium l. l., Bullingero l. l., aliis, coepit tumultuari, et primus illo saeculo Anabaptismi lolium in Germania superiori et quidem Saxonia fecit succrescere, exitiosis doctrinis, quas sibi ab angelo Gabriele inspiratas fingens pro salutaribus venditabat ²⁵⁾. Somnia habere STORCKIUS et socii, et quasdam (ut ipsi ajebant) visiones et revelationes a deo coelitus ipsis factas, pro veris praedicabant. Fore scilicet novum mundum, in quo justitia habitaret, ideoque ante impios omnes ex terra excindi oportere, una cum omnibus impiis principibus ac magistratibus. Impios vero nominabant omnes, qui non suae sectae essent homines. Doctrinarum autem, quas proferebant, referentibus Luthero ep. l., Camerario et Joanne Chyomuso l. l., STORCKIUS praesertim et socii, caput

24) Mirum est exemplo STORCKII pannificis probari, quae GOETHIUS Summus hisce diebus elocutus est: „*Die Weber sind von jeher als ein abstrusreligiöses Volk bekannt*“ sqq., cfr. Röhr Krit. Prediger-Biblioth. Bd. XI. 1 Heft. p. 21. in censura libri: *Blicke ins Reich der Gnade etc. von D. Krummacher*, Pfarrer zu Gemarke. Elberfeld 1828. — Jam tunc enim, ubi et nunc fabricae variae inveniuntur, textrinae Cygnae floreant, teste Luthero in epist. ad Hausmannum Pastorem Cygnensem, (De Wette II. p. 251) ubi haec scripsit Lutherus: „Rogavit me hic adolescens bonae spei et indolis, quod juxta Evangelium suis laboribus panem manducare statuit, ut eum vestris lanificis et textoribus commendarem.“ — Itaque haud mirum, inter textores STORCKIUM multos asseclas invenisse fanaticos.

25) CAMERARIUS in vita Melanchthonis p. 46. haec profert huc spectantia: „Sed grati hi (sermones) erant plurimis spem licentiae rerum omnium et simul cujusdam regni ostendentes. Quod sibi Ciconiam polliceri credebatur, a quo auditum esset, visum se videre aliquando dormientem advolasse Gabrielem angelum, et postquam astitisset propter se, cum alia commemorasse, quae proferenda nondum putaret, tum hoc dixisse: Tu collocabere in solio meo. Idque interpretatum Ciconiam, promissum sibi principatum esse regni novi et paulo post exoritur.“

erat, parvulos non esse baptizandos, omnesque, quibus quod docebant persuaderetur et placeret, denuo baptismo initiandos esse ²⁶⁾. Hanc praecipue doctrinam, teste Luthero, etiam postquam Vitembergam venerant, defenderant, eam enim praesertim in prima, quam de prophetis Cygnaeis ad Melancthonem scripsit, epistola Lutherus (De Wette II. p. 124 sqq.), refellit.

Socii autem STORCKII Cygnaeae fuerunt, teste Spalatino I. I., I. I. THOMAS MARX, qui etiam pannifex erat, MARCUS STUEBNER Elsterbergensis ²⁷⁾, et THOMAS MUNTZERUS tunc temporis

26) Tradidit J. CHYOMUSUS WAGNERO I. I. articulo VI. haec: „Kein Kind soll man mit dem eusserlichen Wasser begiessen, noch in die Kirchen bringen taufen zu lassen.“ — WIDTMANNUS vero I. I. ita eloquitur: „Wer ihm nu Gehör gab unnd seinen Schwarm glaubete, den tauffet er ufs neue, vorgebend unnd sprechend die erste Tauff, unter dem Bapstumb von den gottlosen Pfaffen verrichtet wäre unkreftig.“ — Articulos foedos doctrinae STORCKII et sociorum accurate WAGNERUS I. I. exposuit, quorum epitomen invenias in I. I. *Monatliche Unterredungen* anni 1694. p. 286. Sed pudet repetere hos foedos octo articulos, quibus et mulieres et matrimonia et magistratus incredibili modo despiciuntur, et communicatio honorum commendatur. Articulo sexto baptismus infantium reprobatur, atque articulis demum VII et VIII haec traduntur:

7) „Das eusserliche hörliche Göttliche Wort, das die Pfaffen predigen, und die tägliche Mess ausgöcken, für die Lebendigen und die Todten, ist eitel Gauckelwerck.“ Additur I. I. *Monatliche Unterredungen* sqq. Dabey sind der Pfaffen Tugenden durch alle praedicamente durchgezogen: auch die Predigt des Worts und Kirchengehen verworffen.

8) „Ein jeglicher Mensch kan das Gesetze Gottes erfüllen, denn ein jeglicher hat einen freyen Willen, und kan das Gute annehmen und das Böse verwerffen. So nun das Gesetze von Gott gegeben, so ists auch in des Menschen Willen, dasselbige zu halten.“

27) MARCUS STUEBNER ex relatione Camerarii I. I. literatus erat, et copiam scientiae sibi divinitus conferri universae affirmabat, atque sibi a deo hoc esse datum tributumque eximium gloriabatur, ut ipse interpretando



orator ecclesiasticus Cygnaeae, qui praecipue seditionum auctor fuisse videtur.

Qui cum omnia turbarent, Nicolaus Hausmann pastor Cygneensis vir dignissimus ²⁸⁾, cum duobus Diaconis ipsis restitit. Cum vero tumultus renovarent, nonnulli fanaticorum in carcerem missi sunt, STORCKIUS autem, THOMAS MARX et MARCUS STUEBNER inde ab illo tempore *prophetae Cygnaei* dicti, Vitembergam venerunt exeunte anno MDXXI ²⁹⁾. Suam cum Vitembergae etiam doctrinam spargerent, ipse elector sollicitus erat, et causam horum fanaticorum investigari jussit. Lutherus autem Spalatio d. XVII Jan. MDXXII scripsit: „Propter prophetas quidem Cygnaeos non venio, neque mutor, neque enim me movent. Nollem tamen eos vinculari, praesertim ab iis qui nostra jactant.“ Similia etiam Hausmanno scripsit d. XVII Martis MDXXII, verbo prosternendos esse, nec vi et impetu.

NICOLAUS STORCKIUS etiam postquam Vitembergam venerat, vagabatur passim, sed minus libere et aperte versabatur ³⁰⁾, memor forsitan cladis Cygnaeae. Sed alii et Vitembergae et aliis

et explicando scripta sacrarum literarum excelleret. Hic aliquando fuerat discipulus scholae Vitembergensis, et Melanchthon cum iterum Vitembergam veniret, innata sibi bonitate eum ad se receperat.

28) De hoc ipse Lutherus dicit: „*quod nos docemus ille vivit*,“ et in epistola ad Spalatinum d. V. Maji MDXXII scripta (De Wette II. p. 190): „Cygnaeae modo tribus egregiis viris evangelistis bene provisum est, ipso pastore optimo vero, et aliis *duobus Magistris Sacerdotibus*.“

29) Cfr. testimonia Melanchthonis, quae apud Seckendorffium exhibentur, et Spalatini atque Camerarii II. II., quibus addas epistolas Lutheri. (De Wette T. II.)

30) Cfr. CAMERARIUS I. I.

in locis serebant fallaces sermones, et MARCUS mox MARTINUM CELLARIUM in suam sententiam perducebat.

Vitembergae tunc fiebant omnia in dies difficiliora, quod Lutherum permovit, ut ex Pathmo suo rediret. Certo die MARCUS cum CELLARIO et altero quodam ex suis ad Lutherum venit, qui placide narrantem MARCUM sua audivit. Primo lenius cum iis versatus Lutherus, deinde furente CELLARIO et vana jactante MARCO, istam sententiam cogitando amplexus, *increpet te Deus Satana, is deus, dixit, quem ego veneror et colo, facile vestra numina, ne quid tale efficiatur, coërcebit.* — Post haec plus verborum faciendum Lutherus non putavit, et minantes gloriantesque eos dimisit. Eo die oppido illi excesserunt, et Chembergo literas plenas maledictis et execrationibus ad Lutherum miserunt³¹). Et Camerarius quidem, „*de Ciconia autem et Marco ipso, inquit, quid factum sit, et quid ipsi amplius conati, quique exitus vitae eorum fuerint, non habeo compertum, deque eis narrata atque prodita scio neque temporibus neque personis consentanea.*“ Epistola autem Lutheri ad Spalatinum d. IV. Septmbr. MDXXII scripta, quam supra laudavimus, probat, STORCKIUM postea iterum Vitembergam rediisse, et cum Luthero collocutum esse. Quae vero postea, quum ab illo tempore Vitembergam reliquisse videatur, fata tulerit, haec invenimus. Varia loca atque urbes ab illo tempore pervagans, anno MDXXIII STORCKIUS Alichii et in regione Erfordiae, terrisque Moguntinis rusticos sermonibus suis excitare studuit³²). Anno insequenti Curiam Variscorum

31) Cfr. CAMERARIUS I. I. Hoc factum est initio mensis Aprilis MDXXII. Cfr. epistola Lutheri ad Spalatinum data in Vigilia Palmarum MDXXII (De Wette II. p. 179), ubi, quae Lutherus tradit, optime respondent narrationi Camerarii.

32) Cfr. WAGNER I. I. I. I.

venit, ibique per tempus aliquod apud Simonem Klingerum panificem artificium suum tractavit.

Mox et hac in urbe multos seducens suo modo, tum sui artificii, tum monachos nonnullos, et revelationes simulans, duodecim sibi Apostolos elegit, quos per totam Germaniam mitteret³³⁾. Deinde feбри correptus, primum dicens, sibi etiam malis dei amorem erga se probari, postremo impatiens deum execratus est et improbum animum demonstravit³⁴⁾. Denique furtim et inde abiit. Ubi postea commoratus sit, non constat, procul dubio autem socius tumultuum MUNTZERI fuit. Narrat enim Wagnerus l. l. ex relatione Ambrosii Rudenii Theologiae Professoris Jenae, STORCKIUM, capto Muntzero, praelio profugum Bavariam ivisse, ibique Monachii in nosocomio quodam desperandum animam efflasse³⁵⁾.

Hic

-
- 33) Seckendorffius quidem l. l. narrat, jam Cygnae STORCKIUM ex tribulibus suis duodecim Apostolos et septuaginta duos discipulos elegisse, quod vero, cum nullus aequalium Storckii et Seckendorffius tantum narret, dubium videtur.
- 34) Latius more illorum temporum hoc exposuit Enoch Widtmannus l. l., et quae tradit ex fonte limpido manasse videntur.
- 35) Hoc etiam Widtmannus l. l. et Seckendorffius tradunt. — Hoc loco etiam addere liceat, quae de figura STORCKII ad nos pervenerunt. In libro enim supra laudato Tenzel's monatliche Unterredungen 1697 p. 287. ex Wagneri libro l. haec desumta sunt: Weil er (Joannes Chyomusus) auch ein Mahler gewesen, hat er Nicolai Storckens Bildniss abcontrafäyet, mit scheubelichem Haupte, klotzenden Augen, sprecklichter und langer Zunge; über welche Posituren des Leibes Chyomusus seine Gedanken hat, die Wagner ausführlich mit dessen eigenen Worten erzehlet, da unter andern stehet: „Ich kan nicht wissen, ob er einen sonderlichen fliegenden Geist gehabt, weil er so behäglich, freundlich und demüthiglich mit den Leuten ümgieng, könnte die Wort also versetzen, und

Hic ergo fuit pestiferae Anabaptismi luis auctor, hic propagavit. Quis enim haud perspiciat, Storckium praesertim pervagantem urbes et terras, hanc lueni procul dubio propagasse, cum, ubi paulisper tantum sedem collocabat, statim turbas et seditiones moveret. Et haec initia sunt cladis et calamitatis, quod bene monuit Camerarius l. l., quae pervasit Germaniam, serpente malo paulatim et procedendo acquirente vires, nemine ad cohibendum avertendumve veras rationes ineunte, aut capiente salubria consilia, donec tanquam amnes eo pleniores, quo longius a fontibus feruntur, illi conatus et talia incepta in manifestos seditionum tumultus et perfidam vim confluerunt, motuum popularium, et ad extremum in occupationem urbis Monasteriensis, et regni nefarii detestandum nomen. Quae causae fuerunt, ut Germania scelere et immanitate rapinarum et caedium foedissime laceraretur, et passim vastaretur ferro et igni, de quibus et aliorum narrationes exstant et hoc loco plura commemoranda non sunt.

Haec sunt primordia, *Commilitones Ornatissimi et Dilectissimi*, fanaticorum studiorum Anabaptistarum saeculo XVI., e quibus tanta mala nascebantur, et haec Christiani sed fanatici perpetraverunt. At nostris quoque temporibus error fanaticus haud

und sich so andächtig und heilig stellen, als wäre er ein Engel Gottes. Es war eine ziemliche magere Person, die sich gar nicht auff der Welt Pracht gab, sondern einfältig in einem langen grauen Rocke ohne Falten einher gezogen, sich schauen liess, einen breiten Hut auff dem Haupt tragend, aber ein unkeusch Mensch“ etc.

novus est, et vario modo pacem et studiorum et hominum voluit turbare. Itaque his ipsis diebus festis memoriae nati Jesu Christi recolendae sacris, verbis amantissimis vos hortamur *Commilitones Suavissimi*, ut, memores eorum, quae a vocibus coelestibus, nato Jesu Christo Domino nostro ac Servatore, laudantibus deum, sunt exaudita: *Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ, καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη· ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία*, — pacem et amorem christianum, et veram animi pietatem nutriatis atque confirmetis. Ne multa, hoc firme teneatis: *ἀληθεύοντες ἐν ἀγάπῃ αὐξήσωμεν εἰς αὐτὸν τὰ πάντα, ὃς ἐστὶν ἡ κεφαλή, ὁ Χριστός.* Valete.

P. P. die XXIV. Decembr. MDCCCXXX.





Königsberg, Scrp. publ.

1826/30

ULB Halle

3

005 382 483







Farbkarte #13

B.I.G.

atalitia
Christi

ebra
cunt
Albertinae
Cancellarius et Senatus.



44

diorum fanaticorum Anabaptistarum
XVI.

DCCCXXX.
s Hartungianis.

